



DIVO SIXTO

PONT. MAXIMO,

BAP. PLATINA

S. D.



Ici non potest, beatissime pater, quod uehementer interdum sum admiratus hominum diuersa studia uariisque ingenia, quod omisso philosophiae studio, quae certe est (ut ait Marcus Tullius) uitae humanae dux, uirtutis indagatrix, expultrixque uitiorum, ad inanes curas et cogitationes se transferant. Hunc enim uidemus pecunijs et opibus studere, illum ambitioni et potentiae: alium uoluptates omnium studio et diligentia conquisitas amplecti. Horum studia quae sunt inania, declarant non modo philosophorum sectae, (Epicuri discipulos semper excipio) uerum etiam saluatoris nostri doctrina et uita, qua certe cohortamur, admonemur, cogimur caduca illa ac fragilia, ut falsa bona nusquam consistentia, contemnere: Religionem uero, pietatem, humanitatem, gratiam, hospitalitatem, misericordiam, uirtutem denique omnem, ut unicum et uerum bonum, amplecti. Haec est certe uera philosophia, quae non in opinione, ut de sectis omnibus censebant academici noui, sed in ueritate ipsa fundata est. Tota enim Christi uita, unicum uirtutis exemplar habetur. Hanc profecto si intueri et imitari uoluerimus, quod certe tibi ipsius gratia, tum nostra causa facere debemus, non erit cur Numae Pompilij religionem, Scipionis pietatem

A

